



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindellicorum, 1708**

Articulus II. An Clerici conjugati teneantur deferre habitum, & tonsuram?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

mere: constat ex Origene *homil. 23. in Numer.* Eusebio in *Evangel. demonstr. c. 8. & 9.* Epiphano, *heresi 69.* Chrysof. *homil. 2. de patientia Job.* Cyrillo Hierosolym. *catech. 12.* Hieronymo *contra Vigil. in princip. & epist. 50. in fine.* Concilio Nicæno, *canon. 3.*

## ARTICULUS II.

*An Clerici conjugati teneantur deferre habitum, & tonsuram?*

47 **D**E hoc Episcopus Pictaviensis quaestionem movit apud Innocentium III. ad quam rescribit Pontifex, & refertur *c. Joannes 7. h. t.* quod sic habet: *Joannes nobis conquerendo monstravit, quod tu eum, quanquam jam dudum uxorem legitimam duxerit, pro eo, quod prius in acolythum fuerat ordinatus, compellere niteris, ut tonsuram deferat Clericalem, ex quo inter ipsum, & uxorem suam posset scandalum generari; cum de consuetudine terre tue Clerici uxorati non cogantur invito portare tonsuram. Quoniam igitur idem, etiam tonsuratus, non potest privilegio Clericali gaudere, mandamus, quatenus ipsum super tonsuratione hujusmodi non molestes, dummodo nullum percipiat beneficium Ecclesiasticum, cuius ratione teneatur Clericalem deferre tonsuram; quia, cum eum oporteat secularibus negotiis immisceri, tonsura ipsius, secularia exercentis, videretur profectò in ministerio nostri vituperium redundare.* Ex quo textu sequitur, cum in Ecclesia Latina quaestio fieri possit solum de Clericis in minoribus (qui enim in sacris sunt, citra dispensationem conjugati esse nequeunt) Clericos conjugatos, qui sunt infra Subdiaconatum, non teneri ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, nisi liceat illi habere beneficium Ecclesiasticum, de quo diximus *à num. 21. & 26.* & patet ex *c. Clericus, 6. h. t.* quod est desumptum ex *Concilio Triburiensi*, ubi statuitur: *si Clericus non in gradu seu Ordine sacro constitutus, nec Religionem professus, dimissa Tonsura uxorem duxerit, eam retinere potest, imò & debet: iterum tamen tonderi debet, si Canonis, & fori Clericalis privilegio gaudere velit;* (*Abb hic n. 4.*) modò non

sit bigamus, sed Virginem duxerit, & Ecclesiae alicui serviat, juxta *Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de reform.* Ex quo infert gloss. *in hic*, quòd Clericus conjugatus & beneficiatus, debeat portare coronam; quæ autem pertinent ad qualitatem, & decorem habitus Clericalis, diximus *à n. 21.*

## ARTICULUS III.

*An Clerici conjugati possint habere beneficia Ecclesiastica?*

48 **C**Lericum conjugatum, jure Ecclesiastico, incapacem esse beneficiorum; ita cum communi Leslius *l. 2. Jusf. c. 34. de 21.* adeo, ut nec dispensatione Episcopi beneficium, etiam simplex, obtinere possit. Sanchez *cit. D. 42. n. 18.* excipe, nisi duxerit Virginem, & perpetuam continentiam voverit, *c. Sanè, h. t.* modò etiam uxor vel monasterium ingreditur, vel saltem votum continentiae perpetua edat, quin exposita maneat periculo incontinentiae, *c. Conjugatus, 5. de Convers. conjugat. junct. gl. V. ab uxore.* Nam Laicus non est capax beneficii, *c. Cum adeo, 17. de rescript.* at Clericus conjugatus habetur in omnibus ut Laicus, exceptis casibus expressis, *c. unic. h. t. n. 6.* Ex quo sequitur. 1. Clericum, qui per verba de praesenti contrahit matrimonium, amittere beneficium, si quod habuit, extra praedictum casum; quia sic tacite renuntiat praesumptione juris; & quidem ipso facto, juxta Barbosam *in c. 1. h. t. n. 2.* adeo, ut fructus, à die sic contracti matrimonii perceptos, teneatur restituere; nec possit in favorem tertii renuntiare, atque adeo beneficium ejus, tali casu statim, ipso jure vacare; ita Sanchez *l. 7. matrim. D. 42. à n. 10.* & hoc non in poenam delicti, cum nullum sit; sed ob incompatibilitatem cum statu matrimonii. Hinc, quando dicitur *c. 1. & 3.* ejusmodi Clericos conjugatos privandos esse beneficiis, intellige, quòd possessionem, cum injuste detineant. Et quamvis ab initio fuerint habiles ad beneficium, & inhabilitate (v.g. irregularitate) superveniente, non perdant ipso jure; perdunt tamen tacita renuntiatione, quæ intervenit in hoc casu. Et hoc etiam procedit de pensionibus Ecclesiasticis, si quas ejusmodi Clericus habuit titulo Clericali (nisi sint reservata pro officio aliquo compatibili cum matrimonio, ut pullare campanas,